CENSURA
ET DECLARATIO
CONVENTUS GENERALIS
CLERI GALLICANI
CONGREGATI

In Palatio Regio San-Germano, anno milleſimo ſeptingenteſimo, in materiâ fidei & morum, ejuſdem generalis Conventûs juſſu publicata, & typis edita.

PARISIIS,
Excudebat FRANCISCUS MUGUET, Regis & Cleri Gallicani Typographus.

M. D C C.

Cum Privilegio Regis.

CENSURA ET DECLARATIO

Conventûs Generalis Cleri Gallicani congregati in Palatio Regio San-Germano, anno millesimo septingentesimò, in materiâ fidei & morum.

RELIGIONEM Christianam fide & moribus constare; dogmatum autem tum fidei, tum morum eumdem esse fontem; ac benè vivendi regulam ad ipsum fidei caput pertinere, Ecclesia Catholica semper intellexit. Nec minùs certum est illud omnino esse depositum, quod à Christo & Apostolis Episcopi horum successores ad finem usquè sæculi custodiendum recepenunt. Cùm igitur his-ce temporibus fides dogmatum & regula morum vitæque Christianæ variis erroribus impetatur, ac resecta licet malâ subindè repullulent, Nos Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi, permis-

ſione Regiâ, in palatio San-Germano congregati, aſſiſtentibus aliis Eccleſiaſticis viris nobiſcum deputatis, loci noſtri memores, atque Anteceſſorum noſtrorum, in Comitiis quoque generalibus, monitis & exemplis permoti, his Eccleſiæ laborantis incommodis occurrere, quantùm Dominus ex alto conceſſerit, omni ope decrevimus, atque Unanimitatem noſtram tot tantiſque diſſidiis opponendam duximus in ſpiritu caritatis, nulli perſonæ graves, nullis, quoad ratio temporis ſinet, erroribus parcituri.

Sanè recentiſſimè, quippè hoc ipſo anno M. DCC. prodiit huic cœtui dedicatus & à cenſore legitimo approbatus liber, quo, tractatui, cui titulus, *Nodus prædeſtinationis diſſolutus*, graves notæ inuruntur, Semipelagianiſmo quoque ſæpius imputato. Sed cùm interim in præfatione libri (nobis dedicati) quædam occurrerent quæ Conſtitutionum Apoſtolicarum de quinque famoſis propoſitionibus infirmarent auctoritatem, hæc & alia ejuſmodi variis libellis ſparſa & ad nos delata, coercenda decrevimus, nec probatis reliquis quæ in iiſdem occurrunt; neque patimur ut ſpes ulla cuiquam ſupereſſe poſſit noſtri cœtûs pertrahendi in ullas veritati contrarias partes.

Neque propterea tolerari volumus importunos ac malevolos homines, qui viris bonis doctiſque & Eccleſiaſticæ rei ſtudioſis vagam & invidioſam Janſeniſmi accuſationem inferunt, eo quoque nomine, quod morum corruptelas acriter inſectentur; cùm nos pro candore & æquitate Epiſcopalis ordinis neminem pro ſuſpecto habituri ſimus, niſi eum qui aut Conſtitutionibus Apoſtolicis detrahat, aut aliquam ex damnatis propoſitionibus tueatur: quod etiam ab anteceſſoribus noſtris ſæpè ſancitum, & Regiâ auctoritate firmatum, & ab optimo maximoque Pontifice Innocentio XII. applaudente totâ Eccleſiâ conſtitutum eſt.

Arreſts du Conſeil d'Eſtat des 13. Avril 1661. & 28. Octobre 1668. Breve 6. Feb. 1694. Breve 24. Nov. 1696.

De Cardinali verò Cœleſtino Sfondrato *nodi diſſoluti* authore, quid eſt quod ſolliciti ſimus; cùm ad ſedem Apoſtolicam atque ad optimum veréque ſanctiſſimum Pontificem ejus cauſa delata ſit, quam & Pontifex pro Apoſtolicæ poteſtatis officio judicandam ſuſceperit, & id ipſe perſcripſerit ad quinque è noſtris dato Brevi die 6. Maii, ſui Pontificatûs anno ſexto; quo nihil erat optatius: quarè & à libro examinando nos abſtinere par eſt; nec interim obliviſci doctrinæ adversùs Semipelagianos à ſancto Auguſtino

traditæ, quam & Ecclesia Romana suam fecit, & Ecclesiæ Gallicanæ jam indè ab initio commendavit.

Decr. 1. Alex. VII. 24. Sept. 1665. in præf.

Nunc ut ad aliud fidei caput veniamus, ad Moralem scilicet Theologiam, his postremis temporibus pravâ ingeniorum licentiâ ac subtilitate corruptam, præmittenda putamus verba felicis memoriæ Alexandri VII. quibus *magno animi sui dolore* testatur *complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, atque animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire; & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelicâ simplicitate, sanctorumque Patrum doctrinâ, & quem si pro rectâ regulâ fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela.* Quâ sententiâ non modò errores increvisse queritur; verùm etiam, quod caput est, adnotari voluit ipsam rei tractandæ rationem eam introductam esse, unde videremus corruptelam morum non modò secuturam, verùm etiam facto velut impetu irrupturam, quam vix cohibere possimus.

Neque verò ſatis fuit ſanctiſſimo Pontifici novam hanc methodum ludificandæ conſcientiæ & involvendæ veritatis, hoc eſt ipſum mali detexiſſe fontem ; ſed exitiabilis doctrinæ rivulos inſectatus, complures propoſitiones, *ut minimùm tanquam ſcandaloſas*, (non probatis aliis quæ occurrere poſſent,) *ſub interminatione divini judicii, atque excommunicationis pœnâ, à quâ nemo poſſet, præterquam in articulo mortis, niſi à Romano Pontifice abſolvi, damnavit & prohibuit.* Quod ſalubre opus Innocentius XI. pro ſuâ pietate proſequutus, plures alias parique doctrinæ ac diligentiæ laude ſelectas (nec probatis cæteris) ſub iiſdem pœnis damnavit & prohibuit, dumque eas omnes *ut minimùm tanquam ſcandaloſas & in praxi pernicioſas damnandas ſtatuit & decrevit*, non tantùm à libris ac prædicatione, ſed ab omni etiam vitâ Chriſtianâ procul amandandas judicavit.

Decret. I. & 2. Alex. VII. in fine.

Decr. feri. V. 2. Mart. 1679.

Atque utinam ſanctiſſimi Pontifices Decretorum formulis antiquo ac noſtro uſu receptis, quæque ad univerſas Eccleſias pertinerent, infandam doctrinam proſcripſiſſent : ſed dum expectamus, fore ut tantum opus more majorum & canonico ordine perficiant : Nos interim Cardinales, Archiepi-

ſcopi & Epiſcopi in unum congregati, ne dirum virus ſerperet, has propoſitiones à prædictis Pontificibus, uti memoravimus, applaudente toto orbe Chriſtiano condemnatas, earum præcipuis expreſsè adnotatis, primùm ut magis in promptu eſſent, ad certa capita redigendas; tum cenſoriè notandas, & ad ampliorem Cleri & Chriſtianæ plebis informationem, ſuis quaſque cenſuris configendas eſſe duximus.

Sed enim incredibile dictu eſt ex peſſimis principiis, totâ licet Eccleſiâ reluctante, quanta malorum incrementa provenerint; ſubtilioribus ingeniis in id unum intentis, ut eò quiſque ſe vel maximè Theologum videri velit, quò plura ejuſmodi inventa in probabilitatis auctoritatem adduxerit. Verùm hæc conſtabilire, aut per eam ſpeciem mentes infirmorum in falſam & noxiam ſecuritatem inducere, nihil eſt aliud quàm animas perdere
Matth. xv. 9. ac *doctrinas & mandata hominum* vanaſque traditiones, exemplo Phariſæorum, divini mandati loco obtrudere. Quare tot errorum experientiâ victi neceſſe habuimus ipſam malorum radicem exſcindere, eam ſcilicet opinandi rationem, quæ ignota SS. Patribus tanta de rebus maximis diſſidia peperit, ut

iiſdem

iisdem in parochiis, iisdem in templis passim cerneremus ab aliis teneri & ligari, quæ ab aliis solverentur, ac plebem Christianam in varia atque incerta discerpi, nec scire quibus credat; magno dedecore Ecclesiasticæ auctoritatis, magnâque apertâ januâ ad salutis incuriam & indifferentiam, quam vincere non Episcopi singulares, sed sola Episcopalis unanimitas & auctoritas possit, dicente Apostolo: *obsecro vos fratres... ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Sequuntur autem damnatæ propositiones, nec probatis aliis propositionibus aut erroribus, quos pro angustiâ temporis prætermisimus.

1. Corint. 1. 10.

CENSURA

PROPOSITIONUM.

I.

DE OBSERVANDIS INNOCENTII X. ET ALEXANDRI VII. CONSTITUTIONIBUS CIRCA QUINQUE PROPOSITIONES DAMNATAS.

1.

JAm tandem Ecclesiæ & Regnorum principes ex hoc clarissimo argumento agnoscant phantasma Jansenismi quæsitum ubique, sed nusquam repertum præterquam in laboranti quorumdam phantasiâ.

Præfat. libri cui titulus: *Augustiniana Ecclesia Rom. doctrina &c.*

2.

Constitutione Innocentii X. nihil aliud actum quàm

ut renovarentur atque exacerbarentur disputationes.... In eamdem viam pertractus est Alexander VII. ut homo ab hominibus facilè impellendus in eas res quæ parum ejus officio convenirent.... Innocentius quoque XII. cùm ex officio teneretur claram proferre sententiam generalibus æquivocisque verbis adhibitis dat locum existimandi se non ausum esse clariùs loqui tanquam errare metuentem.... Atque illud, *in sensu obvio*, ejusdem Pontificis magis adhuc generale est & vagum, quàm verba Alexandri VII. *in sensu à Jansenio intento*..... Episcopi denique Gallicani libertates Ecclesiæ Gallicanæ, sub earum asserendarum specie labefactarunt, super recipiendâ Constitutione Innocentii X. contra Jansenium.

3.

Aliquam huic malo medicinam attulisse videbatur Innocentius XII. in Brevi suo 6. Feb. 1694.... Verùm mitigationem illam præsumptam non parum extenuavit Brevi 24. Novemb. 1696. ubi Pontifex disertè negat Constitutionem aut Formularium Alexandri VII. Brevi suo alterata aut reformata..... in aliquâ minimâ ejus parte....., Nec placet eorum opinio, quæ ex ipso primo Brevi 6. Feb. 1694. edito aliquid mitigationis circa factum tentavit exculpere..... Sed & nihilo majorem in quæstione juris progressum factum esse jam quoque convenit ostendere.

4.

Circa condemnationem *Augustini* Jansenii opus esset collatione regulari habitâ vel coram judicibus à Romano Pontifice, vel à Rege datis..... Nondum omnes interierunt qui sciunt deliberationes (de Janseniano negotio) quas nunc Episcopi ut regulas suarum hodiernarum deliberationum (circa novum Quietismum) sumunt, Cleri Gallicani æternùm fore propudia.

CENSURA.

Hæ quatuor propositiones quibus inquieti homines Innocen-

tii X. & Alexandri VII. Constitutiones, Innocentii quoque XII. Brevia æquissima & ab omnibus approbata apertè contemnunt, Episcopos Gallicanos rebus judicatis adhærentes incessunt maledictis, & causam hanc de integro retractari postulant, tanquam tot Constitutionibus Apostolicis, etiam accedente Ecclesiarum consensione, causa nondum finita fuerit, falsæ sunt, temerariæ, scandalosæ, contumeliosæ in Clerum Gallicanum, summos Pontifices & in universam Ecclesiam, schismaticæ & erroribus condemnatis faventes.

II.

DE GRATIA.

5.

Axioma illud Theologicum, *facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*, non solùm verissimum est, atque doctrinæ scripturæ, conciliorum & patrum maximè consentaneum: verùm etiam per illud significatur obligatio quam Deus habet dandi gratiam facienti quod in se est, nec solum facienti quod est ex se viribus gratiæ, sed etiam illi qui cùm non habeat gratiam, facit quod in se est viribus naturæ.

6.

Quia tamen operà viribus solius naturæ elicita omnino sterilia sunt atque incapacia merendi dona intrinsecè & Theologicè supernaturalia: ideo dicimus obligationem quam Deus habet conferendi gratiam facienti quod est in se viribus naturæ, seu viribus gratiæ purè naturalis, sive non Theologicè supernaturalis, non oriri ex bonitate talium operum, aut ex ullo merito sivè condigno, sivè congruo, quod insit in illis operibus in ordine ad gratiam; sed ex pacto inter Christum fidejussorem nostrum & Patrem inito, ad gratiam hominibus conferendam propter Christi merita, respiciendo ea naturalia opera ut purum terminum, non ut meritum ullum aut rigorosam conditionem.

CENSURA.

Hæ duæ propositiones, quâ parte causam discernendi inter justos & non justos in opera merè naturalia referunt, Semipelagianismum instaurant mutatis tantùm vocibus. Pactum autem quod inter Deum & Christum asseritur, commentum est temerarium, erroneum, nec solùm tacente, sed etiam adversante Scripturâ & SS. Patrum traditione prolatum.

III.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

DE FIDE.

7.

1. Alex. VII. HOmo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei & caritatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

8.

17. Innoc. XI. Satis est actum fidei semel in vitâ elicere.

CENSURA.

Hæ duæ propositiones sunt scandalosæ, in praxi perniciosæ, erroneæ, fidei & Evangelii oblivionem inducunt.

9.

21. Innoc. Assensus fidei supernaturalis & utilis ad salutem stat cum notitiâ solùm probabili revelationis, imò cum formidine, quâ quis formidet ne non sit locutus Deus.

CENSURA.

Hæc propositio scandalosa est, perniciosa, & Apostolicam fidei definitionem evertit.

DE FIDEI PROFESSIONE.

10.

SI à potestate publicâ quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri ut Deo & fidei gloriosum consulo; tacere ut peccaminosum per se non damno. 18. Innoc.

CENSURA.

Hæc propositio scandalosa est, præceptis Evangelicis & Apostolicis apertè contraria, & hæretica.

DE MOTIVIS CREDIBILITATIS.

11.

RElígio Christiana est evidenter credibilis; nam evidens est prudentem esse quisquis eam amplexatur: non evidenter vera; nam aut obscurè docet, aut quæ docet obscura sunt. Imò qui aïunt Religionem Christianam esse evidenter veram, fateantur necesse est falsam evidenter esse. Infer hinc evidens non esse: 1. Quod existat nunc in terris aliqua vera religio: unde enim habes non omnem carnem corrupisse viam suam? 2. Quod omnium quæ in terrâ sunt veræ-simillima sit Christiana: an enim terras omnes peragrasti, aut peragratas ab aliis esse nosti? 3. Quod & Apostolis & dæmonibus manifesta fuerit divinitas Christi; id enim si doces, docere te oportet Christum manifestè Deum esse. 4. Quod afflante Deo fusa sint Prophetarum oracula; quid enim mihi opponas, si vel negem illa fuisse vera vaticinia, vel affirmem fuisse conjecturas? 5. Quod vera fuerint quæ à Christo edita fuisse commemorantur miracula; quanquam negare hæc nemo prudenter potest.

CENSURA.

Doctrina hâc propositione contenta impia est, blasphema,

erronea, & inimicis Christianæ religionis favet.

12.

Evidens non est evidentiâ morali propriè dictâ & physicâ Religionem Catholicam esse veram.

CENSURA.

Hæc propositio doctrinam superiori propositioni consentaneam continens temeraria est, & in errorem inducens.

DE REBUS EXPLICITA FIDE CREDENDIS.

13.

22. INNOC. NOn nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

14.

23. INNOC. Fides latè dicta ex testimonio creaturarum simili-ve motivo ad justificationem sufficit.

15.

64. INNOC. Cens. Lovan. 1653. Prop. 17. Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantiâ mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis Domini.

CENSURA.

Hebr. XI. 6. Act. IV. 12. *Hæ tres propositiones in Deum Remuneratorem, & in Christi Mediatoris Nomen contumeliosæ sunt, erroneæ & hæreticæ.*

IV.

DE DEI DILECTIONE.

16.

ALEX. VIII. 24 Aug 1690. SUfficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè: hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ moralis.

CENSURA.

Hæc propoſitio eſt hæretica.

17.

An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vitâ eliceret, condemnare non audemus. 5. INNOC.

18.

Probabile eſt ne ſingulis quidem rigorosè quinquenniis per ſe obligare præceptum caritatis erga Deum. 6. INNOC.

19.

Tunc ſolùm obligat quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, quâ juſtificari poſſimus. 7. INNOC.

20.

Præceptum amoris Dei per ſe tantùm obligat in articulo mortis. Cenſura Guimen. Edit. Pariſ. 1665. pag. 6.

21.

Præceptum affirmativum amoris Dei & proximi non eſt ſpeciale, ſed generale, cui per aliorum præceptorum adimpletionem ſatisfit. Ibidem.

CENSURA.

Hæ propoſitiones ſunt ſcandaloſæ, pernicioſæ, piarum aurium offenſivæ, erroneæ, impiæ, primum & ſummum mandatum irritum faciunt, atque Evangelicæ legis ſpiritum extinguunt.

V.

DE PROXIMI DILECTIONE.

22.

NOn tenemur proximum diligere actu interno & formali .... Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos. INNOC. 10. & 11.

23.

13. Innoc. Si cum debitâ moderatione facias, potes absque peccato mortali de vitâ alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & desiderare, non quidem ex displicentiâ personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

24.

14. Innoc. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

25.

Injuriarum condonatio commendatur nobis ut quid perfectius, sicut commendatur virginitas præ conjugio.

CENSURA.

Harum propositionum doctrina scandalosa & perniciosa est, piarum aurium offensiva, & secundo caritatis præcepto contraria, respectivè hæretica, & omnem vel in ipsis parentibus & liberis humanitatis sensum extinguens.

VI.

DE FESTIS.

26.

52. Innoc. Cens. Lovan. 1653. Prop. 8. PRæceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

CENSURA.

Hæc propositio est scandalosa, ad violandas leges tum civiles, tum ecclesiasticas vel etiam Apostolicas viam aperit, ac proinde superiorum autoritate prohibenda.

VII.

DE HOMICIDIO.

27.

LIcitum est filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas. 15. Innoc.

CENSURA.

Hæc propositio est falsa, scandalosa, execranda, pietati erga parentes contraria, viam crudelitati & avaritiæ aperiens.

28.

Est licitum religioso vel clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de suâ religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso, vel ejus religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur. 17. Alex. Cens. Lovan. 1653. Prop. 7.

29.

Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum evitare. 18. Alex. Cens. Lovan. 1657. Prop. 5.

CENSURA.

Hæ duæ propositiones sunt scandalosæ, erroneæ, Decalogo apertè repugnant, cædibus patrocinantur, & Magistratibus, ipsique humanæ societati certam perniciem intentant.

30.

Non peccat maritus occidens propriâ authoritate uxorem in adulterio deprehensam. 19. Alex.

CENSURA.

Hæc propositio est erronea, crudelitatem privatamque vindictam approbat.

31.

30. Innoc. Censf. Lovan. 1657. Prop. 4. Fas est viro honorato occidere invasorem qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.

CENSURA.

Hæc propositio est scandalosa, erronea, mundano honori servit, ultionem & homicidia excusat.

32.

34. Innoc. Censf. Lovan. 1657. Prop. 9. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

33.

35. Innoc. Censf. Lovan. 1657. Prop. 6. Videtur probabile omnem fœtum, quandiu in utero est, carere animâ rationali, & tunc primùm incipere eandem habere cùm paritur; ac consequenter dicendum in nullo abortu homicidium committi.

CENSURA.

Tertull. Apolog. c. 9. *Hæ propositiones sunt scandalosæ, erroneæ, infandis homicidiis & parricidiis procurandis aptæ:* homicidii *enim* festinatio est prohibere nasci; nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet.

34.

31. Innoc. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

35.

33. Innoc. Censf. Lovan. 1653. Prop. 13. Licitum est tam hæredi quàm legatario contra injustè impedientem ne vel hæreditas adeatur, vel le-

gata ſolvantur, ſe taliter defendere, (defenſione occiſivâ) ſicut & jus habenti in cathedram vel præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem.

36.

Non ſolùm vitam ſed etiam bona temporalia, quorum jactura eſſet damnum graviſſimum, licitum eſt defenſione occiſivâ defendere.... Fatemur rariùs licitum eſſe Eccleſiaſticis.... Si tamen aliquando futurum contingat tale malum, (id eſt graviſſimum damnum) etiam ipſis licitum erit bona iſta cum occiſione furis defendere.

CENSURA.

Hæ propoſitiones legi Dei & ordini caritatis divinitùs inſtituto contrariæ ſunt, pernicioſæ & erroneæ. Exod. xxii. 2. 3.

37.

Quando quis decrevit te occidere, & hoc alicui manifeſtavit, ſed nondum cœpit id exequi, potes eum prævenire, (occidendo) ſi aliter non potes effugere: ut ſi maritus pugionem habeat ſub cervicali ad occidendam noctu conjugem; ſi quis venenum tibi propinandum paraverit; ſi Rex unus adversùs alium claſſem adornarit.

38.

Si arma quidem necdum paravit, ſed habet tantùm decretum firmum & efficax te occidendi, quod tibi vel revelatione divinâ, vel manifeſtatione confidenter amicis factâ innoteſcat, potes prævenire; quia per iſtud decretum etſi purè internum ſufficienter cenſetur eſſe aggreſſor.

CENSURA.

Doctrina his duabus propoſitionibus contenta juri naturali divino, poſitivo & Gentium contraria eſt, nefandis cædibus & Fanatiſmo viam ſternens, ſocietatis humanæ perturbativa, Regibus quoque præſentiſſimum periculum creat.

39.

Ubi est scripta expressa permissio à Deo ut Reges & Respublicæ possint interficere reos? An est in Scripturâ? An in Traditione? Est ne fidei articulus? Si solo lumine naturali eò ducimur, patere ut ex eodem lumine naturali judicemus, quid cuique privato liceat in occidendo aggressore non solùm vitæ, verùm etiam honoris & rei.

CENSURA.

Doctrina hac propositione contenta & illata scandalosa est, erronea & hæretica, Regibus & Rebuspublicis injuriosa, vanis ratiociniis & regulis vitam hominum & morum decreta subjiciens.

VIII.

DE DUELLO.

40.

1. Alex. Cens. Lovan. 1653. Prop. 15.

Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

41.

Cens. Guimen. pag. 51

Potest etiam duellum offerre, si non aliter honori consulere possit.

CENSURA.

Doctrina his propositionibus contenta falsa est, scandalosa, contraria juri divino & humano, tam ecclesiastico quàm civili, imò & naturali.

IX.

CIRCA CASTITATEM.

42.

TAm clarum videtur fornicationem ſecundùm ſe nullam involvere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur. 48 INNOC.

43.

Copula cum conjugatâ conſentiente marito non eſt adulterium; adeòque ſufficit in confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum. 50. INNOC. Cenſ. Lovan. 1653. Prop. 3.

CENSURA.

Doctrina his propoſitionibus contenta ſcandaloſa eſt, pernicioſa, caſtarum & piarum aurium offenſiva & erronea.

44.

In hac vi & metu infamiæ mortiſque poterat Suſanna dicere; non conſentio actui, ſed patiar & tacebo, ne me infametis & adigatis ad mortem..... Fortè Suſanna id vel neſciebat vel non cogitabat: ſic enim honeſtæ caſtæque virgines putant ſe eſſe reas, ſeque conſentire lenonibus, ſi non clamore, manibus, totiſque viribus reſiſtant..... Potuiſſet Suſanna in tanto periculo infamiæ & mortis negativè ſe habere, & permittere in ſe eorum libidinem, modò interno actu in eam non conſenſiſſet, ſed eam deteſtata & execrata fuiſſet; quia majus bonum eſt vita & fama, quàm pudicitia; unde hanc pro illâ exponere licet.

CENSURA.

Hæc propoſitio temeraria eſt, ſcandaloſa, caſtarum aurium offenſiva, erronea, & legi Dei contraria. Deut. XXII. 23. 24. 25. 26. 27.

X.

DE FURTO, TURPI LUCRO, ET JUDICUM CORRUPTELIS.

36. Innoc. Censʃ. Lovan. 1657. Prop. 8. Censʃ. Guimen. pag. 19.

45.

PErmiſſum eſt furari non ſolùm in extremâ neceſſitate, ſed etiam in gravi.

CENSURA.

Hæc propoſitio quatenus furtum permittit in gravi neceſſitate falſa eſt, temeraria, & Reipublicæ perniciòſa.

37. Innoc. Cenſ. Lovan. 1657. prop. 9.

46.

Famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.

CENSURA.

Hæc propoſitio falſa eſt, furtis viam aperit, & famulorum fidem labefactat.

Vic. Gen. Pariſ. Cenſ. Apol. pag. 18.

47.

Poteſt uxor viro ſurripere pecuniam, etiam ad ludendum, ſi mulier talis ſit conditionis, ut ludus honeſtus pari loco cum alimentis ac victu habeatur.

CENSURA.

Hæc propoſitio temeraria eſt, ſcandaloſa, & familiarum pacem perturbat. Quod autem de ludo alimentis æquiparando additur, furti iniquitati peſſimas fallendi artes adjungit; & in vitam humanam neceſſitates inducit à Chriſtianâ ſimplicitate & honeſtate abhorrentes.

38. Innoc. Cenſ. Lov. 1653. prop. 16.

48.

Non tenetur quis ſub pœnâ peccati mortalis reſtituere

quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

CENSURA.

Hæc propositio est falsa, perniciosa, & furta etiam gravia appprobat.

49.

Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati. 39. Innoc. Censf. Lovan. 1657. Prop. 32.

50.

Etiamsi donatario perspectum sit bona sibi donata à quopiam, eâ mente ut creditores frustretur, non tenetur restituere, nisi eam donationem suaserit, vel ad eam induxerit. Vic.gen. Parif. Cenf. pag. 16.

CENSURA.

Hæ propositiones falsæ sunt, temerariæ, fraudibus & dolis patrocinantur, & justitiæ regulis repugnant.

51.

Incantatores, aliique ejusmodi deceptores (Magi, Astrologiæ judiciariæ professores, Arioli, Conjectores) ex pessimis quibusque artibus captantes lucrum, licitè servare possunt bona his mediis acquisita.

CENSURA.

Hæc propositio intellecta de prædictis falsis ac deceptoriis artibus falsa est, temeraria, fovendis fallaciis etiam diabolicis idonea.

52.

Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferendâ sententiâ in favorem unius præ alio. 16. Alex. Cenf. Lovan. 1657. Prop. 12.

53.

Vic. Parif. Cenf. pag. 13. Senon. pag. 14. num 10. & 11.

Poſſunt judices accipere munera à litigantibus, nec tenentur reſtituere quæ acceperint ad pronuntiandam ſententiam injuſtam.

CENSURA.

Hæ propoſitiones falſæ ſunt, pernicioſæ, verbo Dei contrariæ & judicum corruptelas inducunt.

X I.

DE USURA.

54.

40. Innoc. Cenſ. Lovan. 1657. Prop. 14. Cenſ. Vic. Gen. Paris. pag. 13. 14. & ſeq. Cenſ. Apol. Fac. Pariſ. 1658 pag. 15. Cenſ. Guimen. pag. 8.

Contractus Mohatra (*id eſt ille contractus quo à mercatore res majore pretio ad certum tempus ſolvendo diſtrahuntur, ac ſtatim ab eodem, ſtante eo contractu, minore pretio, præſente pecuniâ redimuntur*) licitus eſt etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis præviè inito, cum intentione lucri.

55.

41. Innoc. Cenſ. præd.

Cùm numerata pecunia pretioſior ſit numerandâ, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem quàm futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab uſurâ excuſari.

56.

42. Innoc. Præd. Cenſ. Lovan. 1657. Prop. 13.

Uſura non eſt dum ultra ſortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentiâ & gratitudine debitum; ſed ſolùm ſi exigatur tanquam ex juſtitiâ debitum.

57.

42. Alex. Præd. Cenſ.

Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.

58.

Præd Cenſ. Ec. Bituric. 1659. tit. 7.

Tam licet ex alienatione per aliquot annos cenſum annuum exigere, quàm licet exigere cenſum perpetuum ex alienatione perpetuâ.

CENSURA

CENSURA.

Hæ propoſitiones in quibus mutato tantùm mutui & uſuræ nomine, licet res eòdem recidat, per falſas venditiones & alienationes, ſimulataſque ſocietates, aliaſque ejuſmodi artes & fraudes vis divinæ legis eluditur, doctrinam continent falſam, ſcandaloſam, cavillatoriam, in praxi pernicioſam, palliativam uſurarum, verbo Dei ſcripto ac non ſcripto contrariam, jam à Clero Gallicano reprobatam, Conciliorum ac Pontificum decretis ſæpè damnatam. Procés Verbal du Clergé en 1657. pag. 1268.

59.

Uſura etſi eſſet prohibita Judæis, non tamen Chriſtianis, lege veteri in judicialibus præceptis abolitâ per Chriſtum.

CENSURA.

Hæc propoſitio verbo Dei contraria eſt, novæ legis perfectionem & Gentium omnium in Chriſto adunatarum fraternitatem tollit.

XII.

DE FALSO TESTIMONIO, MENDACIO ET PERJURIO.

60.

CUm causâ licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive ſit gravis. 25. Innoc.

61.

Qui jurandi intentionem non habet, licet falsò juret, non pejerat, etſi alio crimine tenetur, putà mendacii alicujus.

62.

Qui jurat cum intentione non ſe obligandi, non obligatur ex vi juramenti.

CENSURA.

Hæ propositiones sunt temerariæ, scandalosæ, perniciosæ, bonæ fidei illudentes, & Decalogo contrariæ.

63.

26. INNOC. Censl. Lovan. 1653. Prop. 5. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis causâ, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod reverâ fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab eâ, in quâ fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverâ non mentitur, nec est perjurus.

64.

27. INNOC. Causa justa utendi his amphibologiis est quoties id necessarium, aut utile ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium actum virtutis; ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.

CENSURA.

Hæ propositiones temerariæ sunt, scandalosæ, perniciosæ, illusoriæ, erroneæ, mendaciis, fraudibus & perjuriis viam aperiunt, & sacris Scripturis adversantur.

65.

28. INNOC. Censl. Lovan. 1657. Prop. 19. Qui mediante commendatione, vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.

CENSURA.

Hæc propositio scandalosa est, perniciosa, patrocinatur humanæ ambitioni, perjuria excusat, publicæ potestati contra Dei mandatum aduersatur.

66.

Patriarchæ & Prophetæ, Angeli, ipse Christus, nedum viri justi & sancti æquivocationibus, sive amphibologiis & restrictionibus mentalibus usi sunt.

CENSURA.

Hæc propositio scandalosa est, temeraria, mysticè, propheticè, parabolicè, sive œconomicè ad insinuandam altiùs veritatem dicta vel tacita cum vulgaribus gestis confundit, SS. Patrum acta ludibrio vertit, ipsis etiam Angelis injuriosa, erga Christum contumeliosa & impia.

XIII.

DE CALUMNIA.

67.

PRobabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat; & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologiâ.

44. Innoc. Cens. præd. Apol. Lovan. 1657. Prop. 3.

CENSURA.

Hujus propositionis doctrina falsa est, temeraria, scandalosa, erronea, spatiosam calumniatoribus & impostoribus portam aperit; & clarè detegit quàm nefaria placita probabilitatis nomine inducantur.

XIV.

DE ADJUVANTIBUS AD FLAGITIA.

68.

FAmulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo sca-

51 Innoc. Cens. Paris. Apol. pag. 15.

lam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, putà ne à domino malè tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

CENSURA.

Hæc propoſitio ſcandaloſa eſt, pernicioſa, verbis Dominicis &
Matt. XVI. 26. *Apoſtolicis apertè contraria & hæretica;* quam *enim* dabit homo commutationem pro animâ ſuâ? & digni ſunt
Rom. I. 32. morte non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.

X V.

DE SIMONIA ET BENEFICIIS CONFERENDIS.

69.

22. ALEX. Cenſ. præd. Apol. & Guim. pag. 7. NOn eſt contra juſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica, pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

70.

45. INNOC. Cenſ. Lovan. 1657. Prop. 13. Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale; vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra.

71.

46. INNOC. Et præd. Cenſ. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale, imò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur quàm res ſpiritualis.

CENSURA.

Hæ propositiones temerariæ sunt, scandalosæ, perniciosæ, erroneæ, hæresim simoniacam, sacrâ Scripturâ, Canonibus & Pontificiis Constitutionibus reprobatam, mutato tantùm nomine, per fallacem mentis sive intentionis directionem inducunt.

72.

Cùm dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare qui non quos *digniores* & Ecclesiæ *magis utiles* ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent: Concilium vel primò videtur per hoc *digniores*, non aliud significare velle nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo: vel secundò locutione minùs propriâ ponit digniores ut excludat indignos, non verò dignos: vel tantùm loquitur tertiò, quando fit concursus. 47. INNOC. Conc. Trid. Sess. 24. cap. 1. de Refor.

CENSURA.

Hæc propositio Concilio Tridentino contraria est, Ecclesiæ utilitati ac saluti animarum, quæ à pastorum delectu præcipuè pendet, adversatur.

XVI.

DE MISSÆ SACRIFICIO ET SACRA COMMUNIONE.

73.

Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit. 53. INNOC. Cens. Lovan. 1657. Prop. 17. & Senon pag. 19.

CENSURA.

Hæc propositio absurda est, scandalosa, illusoria, communique Christianorum sensui repugnat.

74.

Cens. Vic. Gen. Paris. pag. 18. & 19. Eidem præcepto satisfit per reverentiam exteriorem tantùm, animo licet voluntariè in aliena, imò & prava cogitatione defixo.

75.

55. Innoc. Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam corporis Domini manducationem.

CENSURA.

Doctrina his duabus propositionibus contenta temeraria est, scandalosa, erronea, impietati & sacrilegio favet, & præceptis Ecclesiæ illudit.

76.

56. Innoc. Frequens confessio & communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

CENSURA.

Hæc propositio temeraria est, scandalosa, erronea, impia, & sacris litteris contraria.

XVII.

DE MISSA PAROCHIALI.

77.

Prop. 4. inter sex damnatas in Comitiis generalibus Cleri Gallicani an. 1656. Pag. 412. du Procés Verbal. Nullus in foro conscientiæ parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam confessionem, nec ad Missas parochiales, nec ad audiendum Verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in Catechesibus annuntiantur & docentur.

78.

Prop. 5. ex sex præd. Pag 412. du mesme Procés Verbal. Talem legem in hâc materiâ nec Episcopi, nec Concilia Provinciarum nec Nationum sancire; nec delinquentes aliquibus pœnis, aut ecclesiasticis censuris mulctare possunt.

79.

Plebs virtute Concilii Tridentini cogi non potest censuris & pœnis ecclesiasticis, ut eat ad suam Parochiam diebus Dominicis ad audiendam Missam (parochialem scilicet.)

CENSURA.

Harum propositionum doctrina falsa est, temeraria, scandalosa, jam à Clero Gallicano graviter condemnata, sacris Canonibus, Concilio Tridentino, & Apostolicæ Traditioni contraria, dicente Apostolo; non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam. Hebr. x. 25.

XVIII.

CIRCA CONFESSIONEM SACRAMENTALEM.

80.

Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere. 11. Alex.

CENSURA.

Hæc propositio est temeraria, erronea, & confessionis integritati derogat.

81.

Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ. 14. Alex.

CENSURA.

Hæc propositio temeraria est, erronea, sacrilegio favet, & præceptis Ecclesiæ illudit.

82.

Mandatum Concilii Tridentini factum Sacerdoti Alex. 38. 39.

ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, eſt conſilium non præceptum..... Illa particula, *quamprimùm*, intelligitur, cùm ſacerdos ſuo tempore confitebitur.

Seſſ. 13. cap. 7.

CENSURA.

Hæc propoſitio eſt falſa, pernicioſa, apertum Concilii Tridentini decretum intervertit.

83.

58. Innoc. Non tenemur confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.

84.

59. Innoc. Licet ſacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos, ratione magni concursûs pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicujus feſtivitatis.

CENSURA.

Doctrina his duabus propoſitionibus contenta falſa eſt, temeraria, in errorem inducit, ſacrilegiis favet, Chriſtianæ ſimplicitati, Miniſtrorum Chriſti judiciariæ poteſtati, confeſſionis integritati, atque ipſius Sacramenti inſtitutioni ac fini derogat.

XIX.

CIRCA DISPOSITIONES ET ABSOLUTIONEM POENITENTIS. CIRCA OCCASIONES PROXIMAS.

85.

57. Innoc. PRobabile eſt ſufficere attritionem naturalem modò honeſtam.

CENSURA.

Hæc propoſitio eſt hæretica.

86. Attritio

86.

Attritio ex gehennæ metu sufficit etiam sine ullâ Dei dilectione, sine ullo ad Deum offensum respectu; quia talis honesta & supernaturalis est.

CENSURA.

Hæc propositio quà à dispositionibus necessariis ad absolutionem excluditur quilibet ad Deum offensum respectus, temeraria est, scandalosa, perniciosa, & in hæresim inducit.

87.

Concilium Tridentinum adeò expressè definivit attritionem quæ non vivificet animam, quæque supponatur sine amore Dei esse, sufficere ad absolutionem, ut anathema pronuntiet adversus negantes.

8. des II. Propositions censurées par 46. Docteurs de la Facul. de Paris, le 26. May 1696.

CENSURA.

Hæc propositio falsa est, temeraria, Concilio Tridentino contraria, & in errorem inducit.

88.

Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est deneganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.

60. INNOC. Cens. Lovan. 1653. Prop. 8. Præd. Cens. Paris. Bitur. Senon. &c.

CENSURA.

Hæc propositio est erronea, & ad finalem impœnitentiam ducit.

89.

Potest aliquando absolvi, qui in proximâ occasione peccandi versatur, quam potest & non vult omittere; quin imò directè & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

61. INNOC. Cens. Lovan. 1653. Prop. 22. Et Præd. Cens. Apol.

90.

62. Innoc. Præd. Cens. 41. Alex. Cens. Lovan. 1657. Prop. 2. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit: Unde non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, dum deficiente illâ nimis ægrè vitam ageret, & aliæ epulæ concubinarium tædio magno afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.

91.

63. Innoc. Præd. Cens. & Lovan. 1657. Prop. 1. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali, vel temporali nostro vel proximi.

CENSURA.

Matth. v. 29. 30. xviii. 8. 9. *Hæ propositiones scandalosæ sunt, perniciosæ, hæreticæ, apertè repugnantes præcepto Christi jubentis manum, pedem, oculum quoque dextrum scandalizantem abscindere & projicere.*

XX.

DE JEJUNIO.

92.

23. Alex. Frangens jejunium Ecclesiæ ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientiâ hoc faciat, putà quia non vult se subjicere præcepto.

93.

29. Alex. Cens. Guim. pag. 12. In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

94.

30. Alex. Omnes Officiales qui in Republicâ corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare an labor sit compatibilis cum jejunio.

95.

Excuſantur abſolutè à præcepto jejunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant. 31. ALEX.

CENSURA.

Doctrina his quatuor propoſitionibus contenta falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, pernicioſa, Eccleſiaſticorum mandatorum incuriam inducit, Jejunii leges pravis artibus eludit.

XXI.

DE INTEMPERANTIA.

96.

Comedere & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modo non obſit valetudini; quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui. 8. INNOC. Cenſ. Vic. Paris. pag. 17.

CENSURA.

Hæc propoſitio temeraria eſt, ſcandaloſa, pernicioſa, erronea, & ad Epicuri ſcholam ablegandа.

XXII.

DE HORIS CANONICIS.

97.

Reſtitutio à Pio V. impoſita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientiâ ante ſententiam declaratoriam judicis, eò quod ſit pœna. 20. ALEX.

98.

Qui non poteſt recitare matutinum & laudes, poteſt autem reliquas horas; ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad ſe minorem. 54. INNOC.

CENSURA.

Hæ propositiones falsæ sunt, temerariæ, cavillatoriæ ac præceptis Ecclesiasticis illudunt.

99.

Præcepto satisfácit, qui voluntariè labiis tantùm non autem mente orat..... Respondeo me totâ hebdomadâ, toto mense, toto anno legisse (horas) sine culpâ veniali; & me non peccavisse venialiter tam certò scire, ut possim juramento firmare..... Homo sum..... Distractiones non evito, involuntarias millies, interdum etiam voluntarias; & nihilominus nullo crucior scrupulo, nullo dubio angor; quia prudenter suppono me ad actionem internam non teneri; eam habere bonum esse, & eâ carere ne quidem levem esse culpam; me ad lectionem tantùm & attentionem externam obligari.

CENSURA.

Hæc propositio est absona, verbo Dei contraria; hypocrisim inducit à Prophetis & Christo damnatam his verbis,
Matt. XV. 8. Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè est à me.

XXIII.

DE JURISDICTIONE ET REGULARIBUS.

100.

36. ALEX. QUi beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

CENSURA.

Sess. 23. de Reform. c. 15. *Hæc propositio est falsa, temeraria, Concilio Tridentino contraria.*

101.

Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate. 12. Alex.

102.

Satisfacit præcepto annuæ confessionis qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.

103.

Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresè revocata per Concilium Tridentinum. 36. Alex.

104.

Non possunt Episcopi restringere vel limitare approbationes quas Regularibus concedunt, neque illas ex causâ revocare : quin imò Ordinum mendicantium religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur : & si ab Episcopis religiosi non probentur, rejectio illa tantùm valet ac si approbatio concessa fuisset.

Alex. VII. Decret. 30. Jan 1659. Prop. 2. in causâ Andeg. apud Fagn. de Probab. pag. 328. Edit. Bruxell. 1667. Cler. Gallic. in Com. gen. an. 1656. pag. 412. du Procés Verbal. Cens. Fac. Paris. an. 1641. tit. 11.

CENSURA.

Doctrina his propositionibus contenta falsa est, temeraria, scandalosa, erronea, in hæresim & schisma inducens, Concilio Tridentino contraria, Ecclesiasticæ Hierarchiæ destructiva, invalidis confessionibus viam aperit, jam olim à summis Pontificibus, & à Clero Gallicano damnata.

105.

In ministro pœnitentiæ requiritur etiam approbatio Ordinarii, quæ potest limitari, sed non revocari sine causâ.

106.

Minister pœnitentiæ approbatus in unâ diœcesi, etiamsi habeat suam jurisdictionem immediatè à Papâ, non potest tamen in alterâ, sine diœcesani Episcopi approbatione, audire pœnitentes, saltem in loco ubi adest diœcesanus Episcopus.

CENSURA.

Doctrina his propositionibus contenta quatenus negat approbationem revocari posse sine causâ, eamque esse necessariam in loco unde abest diœcesanus Episcopus, falsa est, temeraria & Episcoporum jura labefactat.

107.

Vi Concilii Tridentini, approbatio unius Episcopi sufficit pro universâ Ecclesiâ, id est, approbatus ab uno Episcopo potest ubique absolvere, modò jurisdictionem habeat, & ad eam accipiendam sufficit, vi Concilii Tridentini, unius Episcopi approbatio.

108.

Religiosæ exemptæ possunt absolvi à sacerdote non approbato ab Episcopo, sive sacerdos ille sit sæcularis, sive regularis.

CENSURA.

Hæ propositiones falsæ sunt, temerariæ, à Concilii Tridentini mente alienæ, jurisdictioni Episcoporum & ecclesiasticæ disciplinæ contrariæ.

XXIV.

DE LEGIBUS PRINCIPUM EORUMQUE POTESTATE.

109.

18. Alex. POpulus non peccat, etiamsi absque ullâ causâ non recipiat legem à Principe promulgatam.

110.

Cens. Guimen. pag. 10. Subditi possunt justa tributa non solvere.

CENSURA.

Hæ propositiones seditiosæ sunt, Apostolicæ doctrinæ ac dictis Dominicis apertè contradicunt.

XXV.

DE ELEEMOSYNA.

111.

VIx in sæcularibus invenias, etiam in Regibus superfluum statui: & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui. 11. Innoc. Cens. Lovan. 1657. Prop. 10.

CENSURA.

Hæc propositio est temeraria, scandalosa, perniciosa, erronea, Evangelicum de eleemosynâ præceptum pessumdat.

XXVI.

DE OBDURATIS.

112.

Si peccatores consummatæ malitiæ, cùm blasphemant & flagitiis se immergunt, non habent conscientiæ stimulos, nec mali quod agunt notitiam, cum omnibus Theologis propugno eos his-ce actionibus non peccare. Cens. Senon. Pag. 11.

CENSURA.

Hæc propositio falsa est, temeraria, perniciosa, bonos mores corrumpit, blasphemias, aliaque peccata excusat, & ut talis à Clero Gallicano jam damnata est. Cler. Gall. in Com. gen. an. 1641. 12. Aprilis.

XXVII.

DE PECCATO PHILOSOPHICO.

113.

PEccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali & rectæ rationi. Theologicum verò & mortale est transgressio Alex. VIII. Decret. 14. Augusti 1690.

libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in eo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æternâ pænâ dignum.

CENSURA.

Hæc propositio scandalosa est, temeraria, piarum aurium offensiva & erronea.

XXVIII.

DE PECCATO MORTALI.

114.

PLeraque peccata, de quibus ait Apostolus quod qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, & quæ expressè adversantur præceptis decalogi, mortalia dici possunt ..... quoniam ..... horum facinorum rei aut amisere omnem caritatis sensum, aut exiguum retinent, ita ut ipsis omnino dominetur cupiditas.

115.

Id tamen intelligi posset adhibito eo temperamento, ut qui planè repugnantes ac velut inviti ista perpetrassent, aut gravis mali impendentis metu, aut æstu libidinis abrepti, ita ut ab istis angustiis liberati acri dolore tangerentur ob commissum peccatum; tam certò affirmari non potest excidisse illos gratiâ, aut incurrisse pœnam damnationis; quanquam enim hoc momento dominata sit cupiditas, brevis & transitoria potuit esse ejusmodi dominatio, quâ voluntatis intima dispositio non mutatur...... Hoc temperamentum naturaliter consequitur ex doctrinâ sancti Augustini.

CENSURA.

Hæ propositiones quæ divinæ caritatis habitum docent aut significant

significant posse consistere cum peccatis adversùs Decalogum, ac de quibus aït Apostolus quòd qui talia agunt regnum Dei non possidebunt, falsæ sunt, perniciosæ, erroneæ, verbo Dei contrariæ : Quæ *enim* participatio justitiæ cum iniquitate..... aut quæ conventio Christi ad Belial? 2. Corin. VI. 14. & 15. *Ad excusanda & imminuenda cujusvis generis peccata viam aperiunt, & imponunt sancto Augustino.*

XXIX.

DE COGITATIONIBUS SIVE DELECTATIONIBUS MOROSIS.

116.

HInc inferre debemus eum consensum qui præbetur suggestionibus pravis, cùm tendit ad delectationem cogitandi tantùm de re illicitâ, putà de ulciscendâ injuriâ; secundùm sanctum Augustinum non esse aliud quàm veniale peccatum, licet ipse ultionis actus, cujus cogitatione animus delectatur, sit pessimus, & certissimum mortale peccatum.

CENSURA.

Hæc propositio quaslibet cogitationes & delectationes, quas morosas vocant, regulariter imputans peccato veniali tantùm, falsa est, temeraria, scandalosa, in praxi perniciosa, concupiscentiam fovet, in tentationem & in gravius peccatum inducit, contraria & injuriosa sancto Augustino. Lib. 12. de Trin. cap. 12.

XXX.

DE REGULA MORUM ET PROBABILITATE.

117.

PUto omnia esse hodie meliùs examinata, & hanc ob rem in omni materiâ & præcipuè in morali libentiùs juniores quàm antiquiores lego & sequor.... Doctrina Cens. Guimen. Pag. 6.

fidei à veteribus : doctrina morum magis à junioribus petenda.

CENSURA.

Hæc propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, erronea, SS. Patribus & antiquis Doctoribus contumeliosa; spretâ in moribus Christianorum componendis necessariâ Scripturarum ac Traditionis auctoritate & interpretatione, moralem Theologiam arbitrariam facit, viamque parat ad humanas traditiones & doctrinas, Christo prohibente, stabiliendas.

118.

Cens. Guimen. pag. 5. & 6. Ex auctoritate unius tantùm potest quis opinionem in praxi amplecti, licet à principiis intrinsecis falsam & improbabilem existimet.

119.

Cens. Guimen. pag. 5. Hæc positio, sexdecim ad probabilitatem requiruntur, non est probabilis. Si sufficiunt sexdecim, sufficiunt quatuor: si sufficiunt quatuor, sufficit unus..... Ad probabilitatem sufficiunt quatuor : sed quatuor; imò viginti & suprà testantur unum sufficere : Ergo sufficit unus.

CENSURA.

Hæ propositiones falsæ sunt, scandalosæ, perniciosæ, spretâ veritate quæstiones morum ad numerum auctorum exigunt, & innumeris corruptelis viam aperiunt.

120.

17. Alex. Si liber sit alicujus junioris ac moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à sede Apostolicâ tanquam improbabilem.

121.

Præf. Cens. Guim. pag. 3. Non sunt scandalosæ aut erroneæ opiniones, quas Ecclesia non corrigit.

CENSURA.

Hæ propositiones quatenus silentium & tolerantiam pro Ec-

clesiæ vel sedis Apostolicæ approbatione statuunt, falsæ sunt, scandalosæ, saluti animarum noxiæ, patrocinantur pessimis opinionibus quæ identidem temerè obtruduntur, atque ad Evangelicam veritatem iniquis præjudiciis opprimendam, viam parant.

122.

Generatim dum probabilitate, sive intrinsecâ, sive extrinsecâ, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. 3. Innoc.

CENSURA.

Hæc propositio falsa est, temeraria, scandalosa, perniciosa, novam morum regulam, novumque prudentiæ genus, nullo Scripturarum aut Traditionis fundamento, cum magno animarum periculo statuit.

123.

Si quis vult sibi consuli secundùm eam opinionem quæ sit faventissima, peccat qui non secundùm eam consulit. Cens. Guim. pag. 6.

CENSURA.

Hæc propositio, quæ docet blanda & adulatoria consilia & contra jus exquirere, & contra conscientiam dare, falsa est, temeraria, scandalosa, in praxi perniciosa, viamque deceptionibus aperit.

124.

Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relictâ tutiore; nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc sententiâ probabili tantùm utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, aut episcopalis. 1. Innoc.

125.

Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem. 2. Innoc.

126.

4. Innoc. Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili.

127.

In morte mortaliter non peccas, ſi cum attritione tantùm ſacramentum ſuſcipias, quamvis actum contritionis tunc omittas liberè; licet enim unicuique ſequi opinionem minùs probabilem, relictâ probabiliori.

CENSURA.

Doctrina his propoſitionibus contenta eſt reſpectivè falſa; abſurda, pernicioſa, erronea, probabilitatis peſſimus fructus.

DECLARATIO
DE DILECTIONE DEI
IN POENITENTIÆ SACRAMENTO
REQUISITA.

POST abſolutas propoſitionum cenſuras ſuperſunt quædam pro rei gravitate enucleatius exponenda, & ab ipſis principiis in apertam lucem deducenda.

Et quidem de dilectione Dei ſicut ad ſacramentum baptiſmi in adultis, ita ad ſacramentum pœnitentiæ, quæ eſt laborioſus baptiſ-

mus, requiſitâ, ne neceſſariam doctrinam omittamus, hæc duo imprimis ex ſacro-ſanctâ ſynodo Tridentinâ monenda & docenda eſſe duximus: primùm ne quis putet in utroque Sacramento requiri, ut præviam, contritionem eam quæ ſit caritate perfecta, & quæ cum voto Sacramenti, *antequam actu ſuſcipiatur, hominem Deo reconciliet.* Alterum ne quis putet in utroque Sacramento ſecurum ſe eſſe, ſi præter fidei & ſpei actus non *incipiat diligere Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem.* Seſſ.14. cap.4. Seſſ.6. cap 6.

Neque verò ſatis adimpleri poteſt utrique ſacramento neceſſarium vitæ novæ inchoandæ, ac ſervandi mandata divina propoſitum, ſi pœnitens primi ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat; nec ſit ſaltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum divinâ opitulante gratiâ ſe ſe excitet ac provocet. Seſſ.14. cap 4.

Placet etiam caveri à Sacramenti pœnitentiæ adminiſtris, ne in hoc pœnitentiæ ſacramento aliiſque *Sacramentis conferendis ſequantur opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore:* néve pœnitentes ipſorum fidei animam ſuam committentes admonere ceſſent, ut in pœnitendo inchoatæ ſaltem dilectionis Dei ineant viam, quæ ſola 1. Prop. Inn. XI.

S. Aug. lib. 1. contra Donatist. c. 3. & 5.

ſecura ſit, graviter peccaturi in hoc ſalutis diſcrimine, *vel eo ſolo quod certis incerta præponant.*

DE OPINIONUM PROBABILIUM USU.

ABSIT vero ut probemus eorum errorem, qui negant *licere ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam:* ſed ad rectum uſum probabilium opinionum, has regulas à jure præſcriptas agnoſcimus. Primùm ut in dubiis de ſalutis negotio, ubì æqualia utrinque animo ſe ſe offerunt rationum momenta, ſequamur id quod tutius, ſivè quod eſt eo in caſu unicè tutum: nequè id conſilii ſed præcepti loco habeamus, dicente ſcripturâ, *qui amat periculum in illo peribit:* hæc prima regula. Altera ut circa probabiles de Chriſtianâ doctrinâ ſententias ſequamur id, quod Viennenſe Oecumenicum Concilium circa infuſas tam parvulis quàm adultis in baptiſmo virtutes decrevit his verbis, *Nos hanc opinionem tanquam probabiliorem & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam & concordem duximus eligendam.* Quod Concilii judicium eò magis ad regendos mores pertinere conſtat, quò magis ex ipſis fidelium ſanctitas ac ſalus pendet.

Eccli. III. 27.

Clem. un. de ſum. Trin. & fid. Cathol.

Ex hac igitur regulâ fit consequens; primùm ut in rebus Theologicis ad fidei & morum dogmata spectantibus Theologos quidem etiam modernos audiamus, si tamen consonas sanctis Patribus tradant sententias. Deinde, ut si ab eis recedant, harum opinionum inhibeatur cursus, nedum earum aliqua ratio habeatur, aut ulla eis tribuatur auctoritas. Denique ut nemini liceat eligere eam sententiam, quam non veritati magis consentaneam duxerit.

Quod ergo in praxi eam nobis liceat sequi sententiam, quam nec ipsi ut probabiliorem eligendam judicemus, hoc novum, hoc inauditum, hoc certis ac notis auctoribus postremo demum sæculo proditum, & ab iisdem pro regulâ morum positum, repugnat huic effato à Patribus celebrato, *quod ubique, quod semper, quod ab omnibus*; nec habere potest Christianæ regulæ securitatem. Vincentius Lirin. Common. I. c. 3.

Hoc initium malorum esse, atque omnium antè dictarum corruptelarum caput, & doctrinæ consecutio & series temporum ostendit. Hoc ab * Antecessoribus nostris viris fortibus ac religiosis censoriè notatum, hoc sæpè reprehensum, hodieque reprehendi nullo incusante, imò bonis probantibus, diffiteri nemo potest.

* In Censuris Apolog. Casuist.

Nos quoque iis de causis has novas sententias, in salutis negotio periculosas, re diligenter inspectâ, summâ ope caveri ac prohiberi oportere censuimus, ac censemus. Placeat autem illa prudentia, ut ante omnia custodiamus, & in tuto collocemus id quod
Luc. x. 42. *unum est necessarium*, fiatque illud Domini-
Matth. x. 16. cum, *estote prudentes sicut serpentes*, qui protecto, quod præcipuum est, capite sibi consulunt: neque quisquam in dubio salutis ad actum prosiliat, nisi ipso dubio, non ad nutum voluntatis, aut ex cupiditatis instinctu, sed ex rectâ ratione deposito, dicente scri-
Rom. xii. 1. pturâ, *rationabile obsequium vestrum*: &
Prov. xiv. 16. iterum, *sapiens timet & declinat à malo, stultus transilit & confidit*: postremò audiatur
1. Thessalonic. v. 21. Apostolicum illud, *omnia probate, quod bonum est tenete*: & iterum, *omne quod non est*
Rom. xiv. 23. *ex fide*, id est ex conscientiâ, sive ex persua-
Ibid. xi. 15. sione, *peccatum est*: denique *testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum*, non aliorum utique, sed ipsorum & suâ.

ADMONITIO ET CONCLUSIO.

ADmonemus autem compresbyteros nostros, sive sæculares, sivè regulares, quicunque Episcoporum auctoritate, vel verbum Dei prædicant, vel sacramenta administrant.

Ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu veriùs perverti sinant, plebemque Christianam ab ejusmodi spatiosâ latâque per quam itur ad perditionem viâ, in rectam semitam evocent: quæ Christi verba ab Alexandro VII. inculcata, altè animis insidere optamus & oramus; speramusque in Domino fore, ut quicunque hactenus laxiores illas sententias, nullâ certâ ratione, sed alii alios secuti docuerunt, docere ipsas jam desinant; quippe quas & Episcopi, ipsique Romani Pontifices reprehendant; hæretici verò, immeritò illi quidem, sed tamen pro more suo Ecclesiæ imputent, atque invidiæ vertant: filii quoque sæculi ut vanas rideant: quare inanem illam, Deoque & hominibus exosam sophisticen aliquando aversati, auctore sancto Hieronymo, ad recta se conferant, *Ut qui priùs populum blandimentis decipiebant, posteà vero annuntiando deterreant, & ad rectam revocent viam; & qui causa erroris fuerant, incipiant mederi vulneribus quæ intulerunt, & esse occasio sanitatis.* Datum in Palatio Regio San-Germano, in Comitiis generalibus Cleri Gallicani, die quartâ mensis Septembris, anno

Alexand. VII. in Præfat. decret. 1. 24. Sept. 1665.

Hieron. in Mich. cap 3. ad illa verba, *hæc dicit Dominus* &c.

millesimo septingentesimo. *Sic signatum in Originali.*

✠ L. A. CARD. DE NOAILLES, Arch. Parisiensis, Præses.

✠ CAROLUS M. Arch. Dux Remensis.

✠ ANNA, Arch. Auxitanus.

✠ ARMANDUS, Arch. Viennensis.

✠ LEO P. P. Arch. Bituricensis.

✠ ARMANDUS, Arch. Burdigalensis.

✠ J. BENIGNUS, Episcopus Meldensis.

✠ HENRICUS, Episcopus & Comes Cabilonensis.

✠ JOANNES-BAPTISTA, Episcopus Rhedonensis.

✠ CAROLUS, Episcopus Massiliensis.

✠ HENRICUS, Episcopus Montisalbani.

✠ HENRICUS, E. Cadurcensis.

✠ CAROLUS, Episcopus Glandatensis.

✠ JOSEPHUS IGNATIUS, Episcopus Aptensis.

✠ LUDOVICUS, Episcopus Sagiensis.

✠ D. FRANCISCUS, Episc. Trecensis.

JOANNES B. de Cailus.

ROGERIUS de Bussy Rabutin.

C. MAURITIUS de Roquepine, Abbas Sancti Nicolai Andegavensis.

HENRICUS CAROLUS Arnauld de Pomponne, Abbas Sancti Medardi.

JOANNES FRANCISCUS PAULUS de Caumartin, Abbas B. M. de Buzayo.

JOANNES de Catellan.

JACOBUS BENIGNUS Bossuet, Abbas Saviniaci.

LUDOVICUS ARMANDUS de Gourgue.

FRANCISCUS de Thomassin de S. Paul.

CLAUDIUS le Mazuyer.

CL. de Biet de Maubranches.

J. FRANCISCUS Petit de Ravanne.

FLODOARDUS Moret de Bourchenu, Præpositus Ecclesiæ Sancti Andreæ Gratianopolis.

H. de Beaujeu.

CAMILLUS le Tellier de Louvois.

CAROLUS MAURITIUS Colbert de Villacerf, nuper Agens Generalis, & Promotor.

GABRIEL de Cosnac, Agens Generalis in rebus Cleri.

CAROLUS Andrault de Langeron Maulevrier, Agens Generalis in rebus Cleri.

VINCENTIUS FRANCISCUS Desmaretz, nuper Agens in rebus Cleri, nunc à Secretis.

Extrait du Privilege du Roy.

PAr grace & Privilege du Roy, donné à Paris le 10. Avril 1698. Signé, Par le Roy en son Conseil, TOURRES; il est permis à François Muguet, Premier Imprimeur du Roy & du Clergé de France, d'imprimer ou faire imprimer les Actes, Titres & Memoires concernant les affaires du Clergé de France, & generalement toutes les choses qui luy seront baillées par les Assemblées generales, & par les Agens Generaux dudit Clergé, pendant le temps de dix années, à compter du jour que chacun d'iceux sera achevé d'imprimer pour la premiere fois : Et défenses sont faites à tous Imprimeurs, Libraires ou autres, d'imprimer ou faire imprimer, vendre ny debiter lesdits Memoires & autres choses imprimées par ledit Muguet par ordre du Clergé, sans sa permission ou de ceux qui auront droit de luy, à peine de dix mil livres d'amende, de confiscation des Exemplaires contrefaits, &c.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le 14. *Avril* 1698. P. AUBOÜIN, *Syndic.*

CARDINALES, ARCHIEPISCOPI, EPISCOPI,

Aliique Ecclesiastici viri, permissione regiâ in Regio Palatio San-Germano congregati.

Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, & universo Clero per Gallias consistenti, Salutem in Christo.

FUIT is pridem decor Christianæ disciplinæ quem beatus Apostolus commendaret his verbis : *De cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcum-* Phil. IV. 8.

hæc cogitate. Hæc enim illa eſt pulchritudo juſtitiæ: Hoc veri ſtudium, is ſplendor ſanctitatis; hæc amabilitas morum; hæc Chriſtiani nominis fama, quæ ad Chriſtum omnia facilè pertraheret: Neque aliud fuit quo ſcandalum crucis, quo prædicationis ſtultitia magis nobilitari poſſet. Quare, cùm ad extrema ventum eſt tempora, in quibus decor priſtinus imminutâ fide, refrigeſcente charitate, labente diſciplinâ, morum corruptelis, ac denique, ut fit, fallacium opinionum illuvie deteri videbatur; id egerunt omnes pii, atque ipſa præſertim Eccleſia Gallicana, ut moralis theologiæ dignitatem vindicarent. Huic igitur operi ut jam vel maximè ſalutares admoveatis manus, & noſtra judicia veſtrâ conſenſione firmetis, communis officii ratio, & charitatis vinculum & collegii noſtri unitas & auctoritas ſuo quodam jure poſtulant.

Et quidem doctiſſimæ ac celeberrimæ Theologicæ Facultates, maximè verò Pariſienſis cum Lovanienſi conjuncta, etiam interrogantibus Epiſcopis, pro officio ſuo gliſcentem novandi libidinem repreſſerunt. Compreſbyteri quoque noſtri parochialium Eccleſiarum Rectores, cæterique Doctores in ampliſſimis civitatibus conſtituti, ad noſtra uſque tempora non ceſſarunt exaltare vocem ſuam in plateis Sion, atque Epiſcopos in altiore ſpeculâ collocatos aſſiduis efflagitationibus incitarunt: qui quidem eorum vocibus & ipsâ rei neceſſitate commoti, pro loci ſui aucto-

ritate, valentiore manu *gladium ſpiritûs* aſſumpſerunt *quod eſt verbum Dei*, ad dirumpenda *cervicalia & pulvillos* inani arte conſutos *ſub omni cubito manus*: ne infelices animæ in morte obdormiſcerent, ac per falſæ pacis ſomnium ad æterna ſupplicia raperentur. Neque tantum fratres noſtri, Apoſtoli Eccleſiarum, gloria Chriſti, in ſuis quique diœceſibus aſcenderunt ex adverſo, ſed & plenitudo exercitûs Iſraël, ipſi nempe conventus Cleri Gallicani, in Chriſti nomine ritè adunati, de fide & moribus ediderunt præclara conſtituta, graveſque cenſuras, quarum haud exiguam partem commemorandam repetendamque cenſuimus. *Eph.* VI. 17. *Ezech.* XIII. 18.

Nec tacere poſſumus, Religioſiſſimi Patres, memorabilem ſententiam quâ maximus ac doctiſſimus cœtus, anno 1655. & ſequentibus, Pariſiis congregatus, graviſſimò judicio ſuo damnavit perverſam ac falſi nominis ſcientiam, quâ inſtructi homines *non jam accommodarent mores ſuos ad Evangelicæ doctrinæ normam, ſed & ipſam potiùs regulam, ac ſancta mandata, ad cupiditates ſuas inflecterent, & detorquerent, novâque & inani philoſophiâ Chriſtianam diſciplinam in academicas quæſtiones, ac dubias fluctuanteſque ſententias verterent*. Hæc illi: quâ ſententiâ, verſatilem illam ac noxiam opinionum flexibilitatem, hoc eſt ipſum *Conventus 1655. Epiſt. ad Epiſc. &c.*

ctos Ecclesiarum Gallicanarum Episcopos transmiserunt, ac deploratâ sæculi cæcitate, id quoque indoluerunt, quod in ipso Comitiorum exitu, oppressi negotiis, congruâ medicinâ grassantes morbos propellere non potuerint. Quibus sanè verbis ea remedia non omisisse prorsùs, sed in opportuniora tempora distulisse, eamque provinciam secuturis conventibus demandasse visi sunt.

Hanc paternam velut hæreditatem Cleri Gallicani cœtus anno 1682. Parisiis congregatus exceperat, sed conventu interrupto, ne salutaris consilii memoria intercideret, sapientissimi Patres, pravarum propositionum indiculum anteaquam discederent edi, ac per Ecclesias mitti voluerunt, ut futuris conventibus velut digito indicarent, quid tum Gallicana pararet Ecclesia, aut quid à posteris expectari par esset.

Ex his profectò liquet, Episcopis Gallicanis ad Dei gloriam semper intentis non animum unquam sed opportunitatem defuisse: quam nacti occultâ quâdam divini numinis providentiâ, opus in manus resumpsimus, hoc vel maximè tempore, quo fratres nostros à fide catholicâ devios, maximo Rege præeunte, revocare nitimur ad Ecclesiam, cùm nihil sit quo magis optimi ac religiosissimi Principis studia adjuvare possimus, quàm si demus operam, ut Christianæ de moribus regulæ, castitas & honestas, magis magisque in dies nec tantùm decretis atque sententiis, verùm etiam factis & executione enitescat: quippe quâ vel

maximè ad Christum omnia trahi, atque etiam infideles ab extremo orbe ad fidem converti solere diximus.

Nec defuturam speramus Ecclesiæ laboranti eam, quæ semper adfuit regiam auctoritatem. Extant nostris temporibus * Rege ipso præsente regii consilii suprema judicia de coercendis erroribus, qui ad Ecclesiæ ac reipublicæ exitium publicè docerentur, castigatis quoque ac repressis eorum auctoribus. Neque quidquam est boni utilisque consilii, quod Ludovici Magni temporibus non expectari possit, aut est quidquam hujus regni gloriæ ac splendori congruentius, quàm ut religionis ac disciplinæ puritas sanctitasque floreat.

* An. 1644.

Hujus ergo rei gratiâ, nos in Spiritu-sancto & in Christi nomine adunati, ejusque ope freti, non tam novum opus aggredimur, quàm sancta decreta quoad fieri potuit colligimus, ordinamus, adhibitis notis, certisque principiis indicatis, quibus instructi cooperatores nostri sacramentorum administri, errores subinde in Ecclesiâ renascentes non modò perspicere, verum etiam facilè confutare possint. Hoc opus non tam nostrum quàm vestrum, vestris quippe auspiciis, vestro spiritu gestum, sanctissimi ac religiosissimi consacerdotes, vestræ pietati, vestræ fidei com-

& in communes Eccleſiarum uſus adhibendum relinquimus; ut in Chriſto Jeſu, quo uno confidimus, Eccleſiæ Gallicanæ, imo etiam Catholicæ gloria inclareſcat. Valete in Domino.

Datum in Palatio Regio San-Germano X V. *Kal. Octobris* M. D C C.

✠ L. A. CARD. DE NOAILLES, Arch. Pariſienſis, Præſes.

✠ CAROLUS M. Arch. Dux Remenſis.

✠ ANNA, Arch. Auxitanus.

✠ ARMANDUS, Arch. Viennenſis.

✠ LEO, P. P. Arch. Bituricenſis.

✠ ARMANDUS, Arch. Burdigalenſis.

✠ J. BENIGNUS, Epiſcopus Meldenſis.

✠ HENRICUS, Epiſcopus & Comes Cabilonenſis.

✠ JOANNES-BAPTISTA, Epiſcopus Rhedonenſis.

✠ CAROLUS, Epiſcopus Maſſilienſis.

✠ HENRICUS, Epiſcopus Montiſalbani.

✠ HENRICUS, Epiſc. Cadurcenſis.

✠ CAROLUS, Episcopus Glandatensis.

✠ JOSEPHUS IGNATIUS, Episcopus Aptensis.

✠ LUDOVICUS, Episcopus Sagiensis.

✠ D. FRANCISCUS, Episc. Trecensis.

ROGERIUS de Bussy Rabutin.

JOANNES Bap. de Cailus.

JOANNES F. P. de Caumartin, Abbas B. M. de Buzayo.

FRANCISCUS PROSPER Choart de Buzanval.

LUDOVICUS ARMANDUS de Gourgue.

CAMILLUS le Tellier de Louvois.

FRANCISCUS Thomassin de S. Paul.

CL. de Biet de Maubranches.

JOANNES de Catellan.

J. F. Petit de Ravanne.

JACOBUS BENIGNUS Boſſuet, Abbas Saviniaci.

FLODOARDUS Moret de Bourchenu, Præpoſitus Eccleſiæ Sancti Andreæ Gratianopolis.

CAROLUS MAURITIUS Colbert de Villacerf, nuper Agens, nunc Promotor.

H. CAROLUS Arnauld de Pomponne, Abbas Sancti Medardi.

C. MAURITIUS du Bouzet de Roquepine, Abbas Sancti Nicolai Andegavenſis.

GABRIEL de Coſnac, Agens in rebus Cleri.

CAROLUS Andrault de Langeron Maulevrier, Agens in rebus Cleri.

VINCENTIUS FRANCISCUS Deſmaretz, nuper Agens in rebus Cleri, nunc à Secretis.